



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs V. Vtrum Angelus statim post vnum actum meriti beatitudinem  
habuerit. art. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

operando, quæ duo Angeli habuerunt, & idcirco habita ratione gloriæ, quam sine propriis meritis pro magnitudine gratiæ gratis simul cum natura sibi donatæ acceperunt, vno aut paucis actibus, tam nobilibus quàm Angeli pro nobilitate, viribusque suæ naturæ elicere potuerunt, sine vlla ex parte operis difficultate, mereri potuerunt plus præmij, quàm nos multò pluribus actibus nostris mereamur. Non est tamen negandum, multos esse, ex hominibus iustis, qui in merito & præmio multos Angelos excedant, & aliquos esse inter eos, præsertim Dominam nostram, qui omnes excedant.

Nonnulli homines Angelis omnibus præmio excellunt.

ARTICVLVS V.

*Vtrum Angelus statim post vnum actum meriti beatitudinem habuit.*

**I**c articulus commodius discutitur cum artic. 6. questionis sequentis.

ARTICVLVS VI.

*Vtrum Angeli sint consecuti gratiam, & gloriam secundum quantitatem suorum naturalium.*

D. Thomas & Magistri sententia.

**D**ivvs Thomas hoc loco, tamquam rationi magis consentaneum, affirmat cum Magistro in 2. dist. 3. Angelos, quò inter se sunt perfectioris naturæ, eò plus gratiæ & gloriæ fuisse consecutos. Tum quod rationi congruat, vt Deus quò perfectiores naturas Angelicas condebat, eò ad altiores gradus gratiæ & gloriæ, eas ordinauerit, atque adeò merè gratis maiorem copiam gratiæ perfectioribus, quam imperfectioribus, contulerit, quando eas creauit, & maiora auxilia eis præstiterit, quibus ad maius decernerent meritum. Tum etiam quoniam cum ad operandum nullum habeant impedimentum, nihilque quod eas retardet, vt nos habemus partem sensitiuam liberam nostrum arbitrium retardantem, rationi est consonum, vt Angeli per suum arbitrium operati fuerint toto conatu: quare cum perfectiores plus potuerint conari, intensiusque valuerint operari, meritum verò ex parte conatus, intentionis, & feruoris in operando augeatur: consequens est, vt rationi sit valde cononum, Angelos perfectiores in naturalibus plus meruisse, ad maioremque gratiam & gloriam peruensse. In eadem sententia videtur fuisse Damascenus 2. lib. fidei orthodoxæ cap. 3. dum dixit: *Per Verbum Dei creati sunt Angeli, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti pro sue dignitatis & ordinis ratione illuminationem & gratiam participantes.*

Angeli quæ portionem gratiæ habuerunt sine propria dispositione, quam secus.

Illud admonerim, ex eo quòd D. Thomas hoc loco doceat, Angelos quò perfectioris fuerunt naturæ, eò efficacius ad Deum fuisse conuersos, plùsque gratiæ fuisse consecutos, non sequi illum existimasse rotam gratiam fuisse illis datam pro qualitate conuersionis, dependenterque à conuersione tamquam à dispositione ad primam gratiam: in gratia enim Angelis collata distinguenda est portio, quæ data est illis ex propriis meritis gratia diuina adiutis, tamquam augmentum gratiæ merè gratis data: distinguenda etiam est alia portio illis omnino gratis data: non secus ac in nobis distinguitur augmentum gratiæ, quod nobis datur ex nostris meritis, à prima gratia merè gratis nobis collata.

Molina in D. Thom.

**A** Quando ergo D. Thomas docet, gratiam collatam illis fuisse pro quantitate conuersionis illorum in Deum, loquitur de prima illa portione gratiæ, quam distinximus: non verò de secunda.

Illud etiam obserua, doctrinam hanc D. Thomæ, & Magistri non esse certam: natura namque humana ad altiore gradum eleuata est in Christo & in Beata Virgine, quàm natura Angelica: illis in naturalibus perfectiores sint euecta. Nisquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, ait Paulus ad Hebræos 2. Præterea multi ex hominibus, vt Apostoli, martyres, & insignes Confessores, & ordinati sunt ad maiorem gratiam, & gloriam, quàm multi Angelorum. Deinde quod ad secundum fundamentum D. Thomæ attinet, sicut Angeli perfectiores in naturalibus pro libertate sui arbitrij peccare potuerunt, & de facto quidam eorum peccauerunt: sic pro eadem libertate potuerunt remissius operari, quàm alij inferiores in naturalibus, vel exercere se in operibus minoris meriti ex suo genere. Quò fit, vt de hac re nihil sit certum: tamen si probabilitate non careant fundamenta, quibus innixus est D. Thomas.

D. Thomas & Magistri opinionem non esse omnino certam.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum in Angelis beatis remaneat cognitio naturalis.*

**C**ONCLUSIO D. Thomæ est. In Angelis cum visione beatifica manet cognitio naturalis quam de Deo habent per suam substantiam, & per cæteras res creatas. Similiter cum dilectione supernaturali patriæ, manet dilectio naturalis. Ratio est, quoniam actus naturalis non repugnat supernaturali de eodem obiecto, quemadmodum actus fidei repugnat visioni beatificæ propter ineuidentiam: & idcirco licet actus fidei manere non possit cum visione beatifica, scientia tamen naturalis de Deo optimè potest manere. Verùm de hac re tertia parte, cum de scientia animæ Christi, & de merito Christi fuerit sermo, erit disputandum.

Angelos vna cum visione beatifica habere cognitionem naturalem de Deo.

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum Angelus beatus peccare possit.*

**Q**UESTIONEM hanc discussimus de beatis 1. 2. q. 4. art. 4. nonnulla adieci- mus q. 10. artic. 2. Faber Stapulensis in lib. de triplici Magdalena, D. Thomam reprehendit, quòd asseruerit Angelos non posse peccare. Nam, inquit, Iob cap. 4. habetur: *In Angelis suis reperit prauitatem.* Hoc tamen testimonium intelligitur de Angelis dum erant in via, verùmque est ratione demonum, qui conuerunt. Quòd si Faber est arbitratus, Angelos beatos post adeptam beatitudinem posse se ipsa peccare, sanè grauitè errauit, vt art. 4. est ostensum.

Angeli beati peccare non possunt.

ARTICVLVS IX.

*Vtrum Angeli beati in beatitudine possint proficere.*

**M**AGISTER in 2. dist. 11. probabilis existimauit, Angelos vsque ad diem iudicij in merito, & beatitudine proficere. Contrariam conclusionem statuit D. Thomas hoc loco: **fff** Angelos

Quid hoc de re falso Magister senserit.